

ris ex subiecto, per hunc modum egerat. Ideoq; dictū Iouem fulmina iaculari. Ergo vt è flagrante ligno carbo cū crepitu, sic à sidere caelestis ignis expulitur, præscita secum afferens, ne abdicata quidem sui parte in diuinis cessante opibus. Idq; maxime turbato fit aere, quia collectus humor abundantiam stimulat, aut quia turbatur quodam ceu grauidi sideris partu.

Interualla siderum.

CAP. XXI.

Interualla quoq; siderum à terra, multi indagare tentauerūt: & solē abesse à luna vndeiginti partes: quantū lunā ipsam à terra, prodiderūt. Pythagoras vero vir sagacis animi, à terra ad lunā centū vigintisex milia stadiorum esse collegit. Ab ea vsq; ad solem duplum. Inde ad duodecim signa triplicatum. In qua sententia & Gallus Sulpitius noster fuit.

De siderum musica.

CAP. XXII.

Sed Pythagoras interdum ex musica rōne appellat tonum, quantum absit à terra luna. Ab ea ad Mercuriū, spatij eius dimidiū. & ab eo ad Venerē fere tantūdem. A qua ad solem sesquiplum. A sole ad Martem tonū, id est, quantum ad lunā à terra. Ab eo ad Iouē dimidium, & ab eo ad Saturnū dimidium, & inde sesquiplū ad signiferum: ita septē tonos effici, quā diapason harmoniā vocant, hoc est, vniuersitatē concentus. In ea Saturnum Dorio moueri * Mercurium phthongo, Iouem phrygio, & in reliquis similia, iucunda magis quā necessaria subtilitate.

De mundi geometria.

CAP. XXIII.

Stadium centum vigintiquinq; nostros efficit passus, hoc est, pedes sexcētos vigintiquinq; Posidonius nō minus quadraginta stadiorū à terra altitudinē esse, in qua nubila ac venti nubesq; proueniāt. Inde purum liquidumq; & imperturbata lucis aerē. Sed à turbido ad lunā vicies centum stadiorum. Inde ad solē quinque milies. Eo spatio fieri, vt tam immensa eius magnitudo nō exurat terras. Plures autē nubes nongentis stadijs in altitudinē subire prodiderunt. Incōperta hæc & inextricabilia, * sed iam prodenda, q̄ sunt prodita, in quis tamē vna ratio geometrica collectionis nūquā fallacis possit nō repudiari, si cui libeat altius ista psequi. Nec vt mensura (id enim velle penē demētis ocij est) sed vt tantū estimatio cōiectandi, cōstet animo. Nā cū trecētis sexaginta et fere sex * partibus orbis solis ex circuitu eius patere appareat circum per quē meat: semperq; dimetiēs tertiā partē ambitus, & tertiā paulominus septimā colligat, apparet dempta eius dimidia (quoniā terra centralis interueniat) sextā fere partem huius immensi spatij, quod circa terrā circuli solaris animo cōprehēditur, inesse altitudinis spatio, lunā vero duodecimā, quoniam tanto breuiore quā sol ambitu currit: ita ferri eā in medio solis ac terræ. Mirū quo procedat improbitas cordis humani, paruulo aliquo inuitata successu, sicut in supradictis occasione impudētis rō largitur: ausiq; diuinare solis ad terrā spatia, eadem ad cælū agūt, quoniā sit medius sol, vt protinus mūdi quoq; ipsius men-

sura uemat ad digitos. Quātas enim dimetiens habeat septimas, tantas habere circulū duo & vicesimas, tantā plane à perpēdiculo mensura cali constet. Aegyptia rō quā Petosiris & Necepsos ostēdere, singulas partes, à lunari circulo (vt dictū est) minimo, triginta tribus stadijs paulo amplius patere colligit: in Saturni amplissimo duplū: in solis, quē medium esse diximus, vtriusq; mēsuræ dimidiū. Quæ cōputatio plurimū hēt pudoris: quoniā ad Saturni circulū, addito signiferi ipsius interuallo, innumerabilis multiplicatio efficitur.

De repentinis sideribus. CAP. XXIII.

Restant pauca de mundo, nanq; & in ipso cælo stellæ repēte noscuntur. Plura earum genera.

De cometis & caelestibus prodigijs, natura & situ, & generibus eorum. CAP. XXV.

Cometas Græci vocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, et comarū modo in vertice hispidas. Idē pogonias, quibus inferiore ex parte in speciē barbæ longæ promittitur iuba. Acontie iaculi modo vibrantur ocysimo significatu. Hæc fuit de qua quinto consulatu suo Titus Imperator Cæsar p̄claro carmine perscripsit, ad hūc diē nouissime visa. Easdem breuiore & in mucronē fastigiatas, xiphias vocauere, quæ sunt omnium pallidissime, & quodam gladij nitore, ac sine vllis radijs: quos Discus suo nomini similis, colore autē electro, raras è margine emittit. Pithetes doliorum cernitur figura, in concauo fumida lucis. Ceratias cornus speciem habet, qualis fuit cum Græcia apud Salamina depugnauit. Lampades ardentes imitantur faces: Hippus equinas iubas celerissimi motus, atq; in orbem circa se euntes. Fit & candidus cometes, argenteo crine, ita resurgēs, vt vix cōtueri liceat, specieq; humana dei effigiem in se ostendens. Fiunt & hirti villorum specie, & iuba aliqua circumdati. Semel adhuc iuba effigies mutata in hastā est, olympiade cētēsimaoctaua, vrbis anno trecentesimo nonagesimo octauo. Breuissimū quo cernerentur spatij, septem dierū annotatū est, longissimū octoginta. Mouētur autē alij errantium modo, alij immobiles hærēt. Omnes ferme sub ipso septentrione, aliqua eius parte nō certa, sed maxime in candida, quæ lactei circuli nomē accepit, Aristoteles tradit & simul plures cerni, nemini compertū alteri, quod equidē sciam. Ventos autē ab ijs graues æstusq; significari. Fiunt & hybernis mensibus, & in austrino polo, sed ibi citra vllum iubar. Diraq; comperta Aethiopum & Aegypti populis, cui nomen xui eius rex dedit Typhon, ignea specie, ac spiræ modo intorta, visu quoq; toruo, nec stella verius, quā quidā igneus nodus. Sparguntur aliquando & errantibus stellis ceterisq; crimes. Sed cometes nunquam in occasura parte cali est, terrificum magna ex parte sidus, ac non leuiter pium, vt ciuili motu, Octauio consule, iterumq; Pompeij & Cæsaris bello. In nostro vero æuo circa veneficium, quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde principatu eius, assiduum propo-

a 4 ac sæuum.

* Mercuriū, nō est in vterio exēplari, neq; inter superiores planetas Saturnū ac Iouem, Mercuriū autor collocaſſe videtur.

* sed p̄den da, quia sūt prodita

* partib⁹ parte circuli, per quē meat orbis solis, ex circuitu ei⁹ appareat, semperq;